

# NICOLAI LEONICENI

VICENTINI DE FORMATIVA VIRTUTE AD DO-  
CTISSIMUM MEDICVM CAESAREM OPTA-  
TVM NEAPOLITANVM, LIBER.



TRA sit uerior opinio, Galeni ne an Aristotelis, de uirtute il-  
le quam neoterici formatiuam uocant: Et sit ne eadem uirtus  
substantia, uel accidens, tua à me epistola quaeris: quod ni-  
hil aliud est quaerere, nisi quid sit uirtus formatiua tantopere  
à medicis atque philosophis decantata. Vt autem ex eadem  
epistola accepit, quum hæc ipsa quaestio inter te ac doctissi-  
mum uirum Franciscum Caballum multis audientibus agitare-  
tur, chalcographus quidam importuna interpellatione superuenit, qui meas ex  
Galeno translationes, quas mirum in modum cupit imprimere, efflagitauit. Quam-  
tu chalcographi uocas importunitatem, ego pro bono omine accipio, quod uide-  
licet futurum sit ut hæc atque alia similes, quae quotidie tractantur à medicis quaestio-  
nes, facillime dissoluantur: si modo eadem translationes alijs quae hactenus fue-  
re in usu clariores ac fideiorem, ut sanè laboraui facere, abs te atque alijs tui simili-  
bus iudicabuntur. Sed de his quid acturus sim, te priuata epistola admonui. Inte-  
rim dum ille publicant, nolui tuum super re quaesita desiderium comorari, quae tan-  
tam habet ambiguitatem, ut penè inexplicabilis uideatur. Nam & illi ipsi inter quo-  
rum opiniones me arbitrum facis, uisi sunt etiam atque etiam addubitalle de uirtute  
formatiua quid esset. Galenus siquidem in quodam suo libello cui titulum fecit De  
formatione foetus, ingenue fatetur se causam quae hos format ignorare. Et quo-  
niam libellus idem nondum in latinam translatus est linguam, Galeni uerba illud te-  
stantia quod diximus, non aggrauabor apponere. Sunt autem hæc: Equidem fa-  
teor me de causa quae format foetum, dubitare. Nam quum uideam summam in  
hac formatione sapientiam ac facultatem, neque illam quae semini inest animam, quam  
Aristotelis sectatores uegetabilem uocant, Platonici autem concupiscibilem, Stoici uero  
neque omnino animam, sed naturam appellant, foetum formare existimo, quum  
nullius sit sapientiae particeps, sed omnino irrationalis. Neque uero ab hac omni-  
no possum discedere, propter magnam filiorum ad parentes similitudinem. Ab  
anima autem rationali, quae post partum uiget in tota uita, puto abscedendum,  
quoniam nos ante sectionem neque corporis partes, neque operationes cogno-  
scimus. Quum uero quidam ex platonice praceptoribus mihi dixisset animam,  
quae per totum extenditur mundum, esse illam quae format conceptus, haud equi-  
dem indignam iudicaui, cui talis ars atque facultas adscriberetur. Non potui autem  
adduci ut etiam scorpiones, phalangia, muscas, uiperas, culices, uermes ab eadem  
formari putarem: proximam esse cuidam impietati talem opinionem arbitratus.  
Neque uero mihi uidetur rationabile, materiae animam ad tantum artificium per-  
uenire. Hoc igitur unum de causa animalia formante, reor posse pronunciarum,  
quod sit ars atque sapientia summa: Sicuti & quod post formationem in tota ui-  
ta corpus tribus motionum principijs gubernetur, & illa quae ex cerebro per ner-  
uos ac musculos fit, & altera quae ex corde per arterias, altera quae ex hepate per ue-  
nas. Ex quibus autem principijs ita ausus sum opinari, in multis ostendi tractatibus,  
ac praecipue in quo de animae agere speciebus. Nullibi tamen ausus sum substantiam  
animae demonstrare. Nondum enim à quopiam linealibus demonstrationibus proba-  
tum inueni, an sit corporea uel incorporea, an omnino aeterna uel corruptibilis,  
ut in

Corpus tribus  
motionum ini-  
tjs regitur.



**A** ut in libro de animæ speciebus explicavi. Hæc quidem Galenus. Ex quibus verbis apparet ipsum non satis habuisse constitutum, quidnam foret de illa uirtute, quæ animalia format, sentiendum: Nisi quod uidetur propter eam quæ nati continent generantium similitudinem, ad animam uegetabilem quæ semini inest, ut ait, declinare. Quam etiam opinionem, tanquam Hippocratis, idem Galenus sequitur in libro de semine, quemadmodum eius uerba ostendunt, quæ eodem libro in hunc modum scripta leguntur: Rursus uero ad primam animalis structuram sermonem transferamus, & ut nobis ordine certo & modo quodam clariore procedat totum conceptus officium, in quatuor tempora distribuamus. Primum quidem in quo uel per abortus, uel per sectiones adhuc forma seminis præualere conspicitur: quo quidem in tempore præ omnibus admirantibus Hippocrates nondum conceptum nominat animalis structuram, sed ueluti nuper diximus in sexta genitura quæ excedit, quæ quidem sanguine plena fuerit, cor uero, cerebrum et hepar nondum articulationem & formam receperint, quandam tamen coagulationem & magnitudinem effatu dignam habuerint. Secundum hoc tempus existit, in quo carnosam iam est & non iam similis genituræ substantiam conceptus. Quare neque Hippocratem inuenies huiusmodi speciem, genituræ nomine appellatam, sed iam conceptum uocantem, ut diximus. Tertium subinde tempus, quo iam ut diximus tria principia manifeste uidentur. Reliquæ uero partes quandam ueluti subscriptionem & umbratilem tantum designationem ostendunt. Nam satis conspicuam circa tria principia formationem intueberis, exiliorem earum quæ ad Venerem pertinent partium, & multo magis illarum quæ manus pedesque constituunt. Hæ enim posterius, ut sic dixerim, ramificantur. Simili enim uocabulo Hippocrates utitur dum uult ostendere eam quam habent ad ramos proportionem. Quartum uero & ultimum tempus est quando iam manus & pedes sunt articulati, quo non amplius foetus, sed infans ab admirabili Hippocrate conceptus nominatur: quo tempore & calcitrare, & iam ut perfectum animal moueri inquit. Verum non est, ut nunc de eo tanquam de animali faciam mentionem. Nam sicuti planta omnem habuit à semine generationem ac formationem, statim ab initio non secus atque illa, duplex ostendens motus principium ac formationis. Qualis enim est plantis radicatio in partibus terræ inferioribus, talis est in ipsis conceptibus in utero secundum locos arteriarum ac uenarum insitio. Qualis etiam est truncus in plantis uersus superius, tales propagines foetibus à tribus principijs exortæ. Rursus autem sicuti plantæ duplicem habent ex semine exortum: nam sursum quidem truncum producant, & ramos usque ad ultima germina operantur, radices autem ad inferiora partiunt: sic & foetibus multæ sunt partitiones uenarum atque arteriarum, quæ ueluti trunci in totum conceptum tanquam radices, in uterum terminantur. Quare non iniuria possemus Aristotelem in hac parte reprehendere, non ob id tantum quod illa non peruiderit, quæ oportuit ipsum peruidere, uerum etiam quod suorum oblitus est dogmatum, & naturæ opera aliter in plantis, aliter in animalibus explicauit. Nam quum in plantis intueretur semen in se non secus quam principium efficiens etiam materiale comprehendere, alterum tamen istorum animalibus adimit. Atqui hoc unum sufficebat homini naturæ operum peritissimo, genituræ utilitatem comonstrare. Si enim non alijs potentijs natura seminis efficit plantam, alijs autem animal, ea quæ in plantis uidentur transferre ad animalia. Nam eandem inuenies in utrisque proportionem. Nam plantæ semen eget terra, ut ex illa nutriatur, atque augeatur. Sed ob easdem causas & nostrum corpus utero eget. Radices sibi generat planta quibus attrahat alimentum à terra: & loci uasa quæ sunt foetus radices, truncum ex se semen profert, & ab hoc ramos, deinde alios super



**C**allos rursus ramusculos usq; ad extrema germina. Hic quoque intueri aortam, & cauam uenam, & spinam. Rursus autem ab his propagines multas, quæ ueluti rami in alios minores diuiduntur: qui rursus scinduntur in alios, nunquam cessante propagatione, donec ad ultimas ueniat germinationes. Si uero sanguineam hanc plantam cernis, aut carneam, non propterea oportet existimare aliud esse q̄ plantam: nam opifex idem utriq; est, scilicet anima uegetabilis. Verum illud aduertas, quod hæc planta futura est animal, non quod illam quam prius habuit potentiam abijciat, sed alteram superacquirat: debet autem de loco ad locum moueri, quum iam perfecta est & soluta ab utero. Verum non posset hoc facere si frigida foret, ut stirpes, & non haberet ingrediendi instrumenta: ut igitur moderatū calorem obtineret, quantus naturæ animalis congruit, & loca posset commutare, duo obtinuit principia: alterum instrumentorū quæ calorem seruant naturalem, alterū eorum quæ omnibus secundum electionem actibus subministrant. Sed his quidem posterius utetur. Principiū uero uegetabile primum omnium habet quod non ex sanguine, sed ex ipso semine arteriam, & uenas, & neruum, & os, & membranā efficit. Nam & hæc antea superiori sermone à nobis sunt exposita. Ex his Galeni uerbis liquidò apparet secundum Hippocratis opinionem, quam Galenus hoc loco sequitur, semen esse animatum, & uirtutem formatiuam quæ arterias, uenas, neruos, & similia efficit instrumenta, esse animæ uegetabilis potestatem. Neq; aliud Galenus sensit ex eiusdem Hippocratis autoritate, quum in prima particula aphorismorū in expositione decimiquinti aphorismi scripsit hæc uerba: Huc quoq; animum aduerte, quod alijs quidem ratio difficilis, soli autem Hippocrati atque eius sectatoribus facilis: neq; enim aliud quicquā est quod ab initio formauerit animal, sicuti rursus neq; quod auxerit, uel usq; ad mortem nutriuerit, nisi calor hic naturalis, de quo nunc sermo habetur. Hæc quidē Galenus: quem nemo putet ob id à seipso, aut ab Hippocrate dissentire, qd aliquando animalis formationē animæ tribuit uegetali, quæ in semine existit, ueluti in libro de semine: aliquando calori naturali, ut in prima particula aphorismorum. Nam hoc quoq; Hippocratis est dogma, eandem rem esse animam & calorem naturalem, siue corporis temperaturā quam complexione uocant. Et licet Galenus multis in locis fateatur se animæ substantiam ignorare, sicuti & causam animalium conditricem in libro de generatione foetus, in pluribus tamen animam esse quandam temperaturā, tum ex Hippocratis, tum ex sua etiam opinione nobis insinuat. Sed quoniam hoc cōmune Hippocratis atq; Galeni dogma alibi latius explanauimus aduersus Conciliatorem, qui differentia decimaoctaua huiuscemodi opinionem Hippocratis quidem esse concedit, sed à Galeni dogmatibus omnino conatur eximere, hoc in loco sufficet eiusdem Galeni uerba tantūmodo adducere, quæ in libro de palpitatione & rigore ita scribuntur: Totum quidem corpus conspirare & confluere arbitror. Calorem uero naturalem nō aduentitium, neq; posteriorem generatione animalis, sed ipsum primū & ab initio congenitū, & natura atq; anima nihil aliud existit quàm iste calor, ita quod si substantiam ipsius per se mobilem & semper mobilem intellexeris, nō aberrabis. Si ergo calor iste natiuus à nostræ generationis initio semini inditus, est anima illa quæ nos generauit secundū Hippocratis opinionem, nō differt Galenus uel à seipso, uel ab Hippocrate, quum Hippocratis opinionē aliquando sectatus uel animā uegetabilem, uel calorem naturalem semini inditum ait esse membrorū animalis opificem. Tu uero ex his quæ sunt à nobis hæctenus exarata, iam per te collige, quid de uirtute animalia formante Galenus ipse dubitauerit, & quid ex Hippocratis opinione nonnunquam scriptitarit. Utinam tam facile



**A** facile foret super eadem re Aristotelis sententiam explicare: sic enim tuæ quæstioni melius possemus satisfacere. Sed mos fuit huius philosophi res difficiles admodum mira obscuritate tractare: simili astu, ut aiunt nonnulli, quo sepia piscis atrimento aquam infuscat, ne à piscatoribus capiatur. Adnitendum tamen est pro uiribus, ut partim ex eius scriptis, partim expositorum, qui clarissimi habentur in secta Peripateticorum, quæ fuerit opinio Aristotelis de uirtute quam formatiuam uocant, eliciamus. De hac ipsa tamen etiã Aristotelem dubitasse Galenus testatur libro secundo de cõplexionibus, ubi ita scribit: Vtrique autem à ueritate aberrant una quidem & cõmuni ratione: quoniam de omni corpore & una partium conantur demonstrare: secundo loco, quia uirtutis naturalis formatricis non meminerunt, quæ artificiosa est, & consentaneas moribus animæ particulas format. De hac enim etiã Aristoteles dubitauit, ne forte diuinius quoddam principium existat, & nõ secundum calidum & frigidum, humidum & siccum. Scribit autem hæc uerba Galenus aduersus illos qui ex nasi similitudine humiditatem, ex aduncitate siccitatem, ex oculorum itidem magnitudine humiditatem arguebant. Quos dupliciter à uero inquit deuiare, & quia ex uno membro totius corporis cõplexionem putabant posse dijudicari, & quia formationis opus solis qualitatibus tribuebant. Dubitasse autem Aristotelem, an hæc sit naturæ opus in calido, frigido, humido, & sicco operantis, an alterius causæ diuiniore, constat ex uerbis eius, quæ circa finem quarti Meteororum scripta leguntur in hunc modum: Talia autem à frigido, & calido, & motibus sunt commixta. Quæ uero ex his constant partes dissimilares haud utique uiderentur, ueluti caput, manus, aut pes. Sed quemadmodum quod fiat æs uel argentum frigiditas causa est, & motus eius: Quod autem ferra, uel phiala, uel capsula, non etiã. Sed hic quidẽ ars, illic uero natura causa, uel alia causa. Hæc quidẽ Aristoteles: qui quum superius calidum & frigidum, atque horum motus partium similarium animalis causas assignasset, postea subinfert: Quæ uero ex his constant, scilicet partibus similaribus partes dissimilares, non ex primis qualitatibus, uel ex alijs quæ ex primis ortum habent, ueluti ex mollitie, & duritie, aut reliquis, de quibus inibi loquitur Aristoteles, suam essentiam sortiuntur: sed sicuti æs quidem & argentum à calido & frigido, atque eorum motibus generantur: quæ uero ex his constant ueluti phiala, aut ferra, nõ eandem habent causam generationis. Eodem modo se res habet in partibus dissimilaribus animalis, quæ constant ex similaribus: differunt tamen in hoc quod phialæ quidem & ferræ, quarum altera fit ex argento, altera ex ferro, & ars causa est. Partium autem dissimilarium animalis natura, uel alia causa. Ex his uerbis postremis Aristotelem fuisse ambiguum apparet, natura ne an alia causa superior sit partium dissimilarium operatrix, quarum causas non possumus ad primas secundas uel qualitates referre. Galenus quoque duas uirtutes facit totius generatiuæ: alteram quæ per calidum, quæ alteratiua uirtus, seu immutatiua prima: quæ formatiua, seu ars optima, siue uirtus agens præcepto sui creatoris agit: ac frigidum & humidum, ac siccum, quam uocat ipse alteratiuam, Auicenna immutatiuam primam: Quæ uirtus, ut inquit Galenus libro primo de uirtutibus naturalibus, facit os, cartilaginem, neruum, membranas, ligamentum, uenas, & reliqua huiusmodi quæ secundum primam animalis generationem natura operatur: Vt autem ait Auicenna, sententiam Galeni uolens ut uideatur interpretari, quæ dat neruo complexionem propriam, & ossi cõplexionem propriam. Alteram quam & Galenus & Auicenna quoque formatiuam nominant, quæ ut inquit Galenus, facit membrorum similarium compositionem, & eorum quæ innascuntur cõplicationem, & in intestinum propaginem, & formam cavitatis interioris: Vt autem Auicenna scribit, quæ præce-

*Due uirtutes  
totius genera-  
tiuæ.*



C pto sui creatoris facit membrorū lineationem, & ipsorum figurationem, & cōcaus-  
 tatem, & foramina, & lenitatem, & asperitatem, & eorū situs, & ipsorum continui-  
 tates. Hanc uirtutem Galenus ait esse artificiosam, uel potius artem optimam atq;  
 supremam: Auicenna, ex præcepto sui creatoris omnia quæ agit, operātem. Hæc  
 uero illa est, de qua Galenus atq; Aristoteles in uerbis supra allegatis dubitarunt,  
 ne sit uirtus diuiniior, quàm illa quæ ui agit qualitatum primarū, aut secundarum.  
 Hanc autem Aristotelis dubitationem quidam recentiores philosophi ac medici,  
 qui Arabum doctrinam sequuntur, mihi uidentur accipere ex secundo libro de ge-  
 neratione animalium, ubi Aristoteles, Theodoro interprete, scribit hæc uerba: Inest  
 enim in semine omnium quod facit ut sint fecunda semina, uidelicet quod calor uo-  
 catur: Idq; nō ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus qui in semine, spumo-  
 soq; corpore cōtinetur: & natura quæ in eo spiritu est proportione respondēs ele-  
 mento stellarum: Quam ob rem ignis nullum animal generat, neq; constitui quic-  
 quam densis, uel humidis, uel siccis uidetur. At uero solis calor & animalium non  
 modo qui in semine continetur, uerumetiam si quid excrementi sit, quanquam di-  
 uersum à natura, tamen id quoq; principium habet uitale. Cæterū calorem in ani-  
 malibus contentum, nec ignem esse, neq; ab igne originem ducere, apertū iam ex  
 his est. In his uerbis Aristoteles nō dubitanti, sed planè asserenti similis est. Cōper-  
 tum enim iam esse inquit, nō autē etiam dubitari, sit ne calor naturalis cōtētus in  
 animalibus ignis, an natura aliqua elemento stellarum proportionalis. Neq; adeò  
 hoc loco de uirtute formatiua seminis loquitur, de qua ait Galenus ipsum dubitas-  
 se, quantum de alteratiua siue immutatiua, quæ secundum Galenum facit os, car-  
 nem, neruum, & ossa, & omnes denique partes similes animalis: de quibus neq;  
 ambigit Aristoteles, quin ui calidi, frigidi, humidis, ac sicci generentur, ut cōstat ex  
 uerbis libri quarti Meteororum paulò antea in medium adductis, & ex multis locis  
 libri de generatione animalium probari potest. Atq; ex illo præcipue secundi  
 de generatione animalium, ubi ita scribit: Ortus similium frigore calore ue agi-  
 tati consistunt, coquunturq; alia frigido, alia calido, quarum rerum differentias ali-  
 bi exposuimus antè, scilicet quæ humore igneque resolubiles, quæ humore irreso-  
 lubiles, igneque illiquabiles sint. Per uenas igitur & meatulos quosque alimentū re-  
 sudans, quemadmodum aqua per crudiusculam cutem in carnem, aut carnis pro-  
 portionalis conuertitur frigore consistens, ex quo fit ut caro ab igne resoluatur.  
 Sed quæ terrena admodū oriuntur parum humoris calorisque adepta, hæc dum re-  
 frigescunt humore cum calore euaporante, duram terrenamque formam capiunt, ut  
 ungues, cornua, ungulae, rostra: quamobrem igne hæc molliuntur. Sed humore  
 nonnulla liquefcunt, ut ouorum putamina. Nerui & ossa calore interiore cōficiuntur,  
 siccescente humore: Quamobrem ossa resolui ab igne non possunt, quo mo-  
 do testa indissolubilis est. Hoc in loco Aristoteles palam facit se de ortu similium  
 idem sensisse quod etiam libro quarto Meteororum, neq; uel minimum de ipsis du-  
 bitasse quin calido, frigido, humido, & sicco eorū generatio perficiatur, quæ est al-  
 teratiuæ uirtutis operatio: Sed potius de dissimilibus, quorū structura & cōposi-  
 tio admirabilis nō uidetur ad primas qualitates posse referri. Nam & quarto libro  
 Meteororum ad quem nos remittit hoc loco quum ait, se harum rerum differentias  
 alibi exposuisse, naturā fatetur calido, frigido, humido, sicco ue utentem, partes si-  
 milares animalium efficere: Partes autem dissimilares, ut caput, manus, & pedes, nō  
 ita uideri constitui, sed ab alia causa atq; aliter operante. Forte autem quispiā exis-  
 timauerit Aristotelem libro secundo de generatione animalium, ubi ea uerba scri-  
 bit: Quamobrem ignis nullum animal generat, neq; constitui quicquam densis, uel  
 humidis,

Similarium ge-  
 neratio nō cas-  
 uem.



**A** humidis, uel siccis: uideri uirtutem potius formatiuā nobis innuere quā alteratiuam: quam certum est autore Galeno, Auicenna' ue, & reliquis medicis, in membrorum similariū generatione per has agere qualitates, ex quibus ait Aristoteles, nihil uideri cōstitui. Nos autem ita opinantibus atq; obijcientibus respondemus, *Responsio ad obiectionem.* non negare simpliciter Aristotelem calorē esse causam saltem instrumentariā partium animalis: sed calorem igneū, hoc est ab igne factum, qui, ut inquit idem Aristoteles libro primo Meteororū, est excessus & ueluti feruor, & ut in libris de generatione & corruptione testat, glaciē proportionē respōdet. Sicuti enim illa humidū concretio est propter excessum frigoris, sic ignis feruor caloris est & superabundātia: quare ut & inibi ait, nihil ex glaciē, aut igne generatur. Ut autem hoc in libro secūdo de generatione animalis, nihil ex humidis, aut siccis ignitis, id est igne perustis, generari uidetur ( sic enim uerior sensus Aristotelis explicatur, q̄ in uerbis quæ habentur in translatione Theodori) neq; cōstitui quicquā densis, uel humidis uel siccis uidetur. Has enim qualitates, scilicet humiditatem & siccitatē tanquam principia passiuā cōferre ad cōstitutionem animalium, non negat Aristoteles: quum calor uiuificus agit in ipsas, quem ait esse proportionalē calori stellarū, qualis est qui in semine cōtinetur. Sicuti enim calor cōlestis agens in lutum, ex eo generat animalia, ita & calor seminis in materiā sibi cōuenientem idem operatur. *Calor innatus similis calori stellarum.* Quare hic calor semini inditus nō calor cōlestis, ut quidā opinantur, sed calori cōlesti proportionalis ab Aristotele dicitur. Sicuti enim est duplex ignis secundum Aristotelē, alter in cōcauitate orbis lunæ qui uiuificus est, alter qui est feruor & caloris excessus: ita & geminus calor, alter quo natura utitur tanquā instrumento ad animalium generationē, alter quem ars adhibet ad suorū operū perfectionem. Calorem autem habentē principium uitale, nō solum in semine cōtineri, sed etiam in excrementis quæ à modo naturæ recesserunt, Aristoteles ait: Quorum tamen excrementorū calorē nemo sanæ mentis, aut cōlestem, aut diuinū existimauerit. Quare quantum ad hunc locū attinet, haudquaquē ex eo mihi uidetur Auerrois, aut Cōciliator Auerrois sequens, differētia quadragesima octaua posse cōcludere, quod Aristoteles uirtutē formatiuā, quæ est calor seminis, uel eo utitur tanq; instrumento, diuinis principijs assimilauerit, uel quod eam rem diuinā & intellectū nominauerit, atq; à corpore separabile iudicauerit. Quæ omnia putat Cōciliator differētia allata ex alijs uerbis Aristotelis, quæ eodē loco libri secūdi de generatione animalium, scripta inueniunt euidēter ostendi: Quū tamen his quæ Aristoteles eodē loco determinat, sint omnino cōtraria. Verba Aristotelis quæ à Cōciliatore allegantur secundum antiquā translationē hæc sunt: Geniturę corpus in quod egredit id quod animalis principij, & hoc quidē separabile existens à corpore in quo apprehenditur quid diuinū. Talis autē quod uocatus intellectus. Quæ uerba exponens Cōciliator ait, quod cōsiderans Aristoteles uirtutē formatiuā non habere organū adhuc figuratū in massa spermatica, uocauit eam separabile: ipsius tamē separabilitas est alia ab ea quæ intellectus, longēq; minor: Ille namq; separabilis est omnino, hæc autem uirtus diuina practica præ alijs nobilitata generationis uirtutibus, quū ipsa sit simplex & immaterialis ferē nō immediate materiā attingens, indiguit subiecto magis distincto eam uehiculante ad membrorum generationes, & formas dandas cōuenientes: hoc autē fuit spiritus, est enim corpus subtile uehiculū uirtutis. Egit etiam instrumento quum sit simplex, sicuti alia mixtorū uirtutes. Huius autē uirtutis duplex existit instrumentū: Vnum quidē est calidū cōleste, quod est uiuificatiuū cōtinuē, nuncq; uero peremptiuū, faciens animata ad aliquam cōlesti conformitatem accedere: Agit enim ad cōsistentiam & continentiam eorū maxima, ceu omnis uir



**C**etus cœlestis facit constitui: sicuti & in esse contineri substantias generatas. Et id dignius est instrumentorū, quo ea medio actus nobiliores exercet, generatū inesse tali magis finitās. Est etiam ipsi aliud instrumentū secundariū, scilicet calidum elementare, quod quidē nō habet omnifariā uiuificare & cōinentiam causare, nisi calido reguletur cœlesti. Demū subiūgit Cōciliator, quod huiusmodi duplex calidū in frugū distinguitur maturatione secundū Galenū quarto De simplici medicina. Hæc quidē omnia Conciliator. Quæ, si liceat tam celebris famæ ætate nostra uiro cōtradicare, nō cōsonant loco Aristotelis, quē ipse adducit ex lib. secūdo de generatione animalū. Nam ut à postremis uerbis eius incipiam, in quibus esse uirtutis formatiue duplex instrumentū nitit demonstrare, nō cohærere illa Aristoteli, ex his quæ antea diximus de duplici igne, & duplici calore, satis arbitror esse perspicuū: & adhuc magis ex uerbis ipsius Aristotelis, etiā secundū antiquā translationem, quā pro sua expositione allegat Cōciliator, possumus demonstrare. Nam calidum cœleste non esse instrumentū uirtutis formatiue, aut alterius uirtutis uirtutis formatiue ministrātis, indicāt uerba Aristotelis, quæ in antiqua habent translatione: Omniū quidē in spermate inexistit, quod gonima facit esse spermata uocatū calidū. Hoc autē non ignis neq; talis uirtus est, sed interceptus in spermate & in spermato spiritu, & in spiritu natura proportionalis existēs astrarū ordinationi. In his uerbis Aristoteles apertissime ostēdit calorē illum, qui facit semen esse fecundū, de quo hic agit, non esse extrinsecū semini, qualis est cœlestis, sed ipsi semini inexistētē. Subiūgit tamen hunc calorē nō esse ignem, neq; talem uirtutē: ne quis forte existimaret, quod esset calor igneus, hoc est talis ignis, qui uim habet destruendi magis q̄ generandi: & non calor, sed feruor potius atq; excessus caloris nominat, ut supra diximus ex eiusdem Aristotelis autoritate. Naturā aut huius caloris, quæ est generatrix & nō peremptrix, cōtentam in semine uel spiritu seminis, nō ait Aristoteles esse cœlestem, sed proportionālē: uel ut habetur in noua translatione Theodori, proportionē respondentē elemento stellarū. Vnde nō sequitur: Calor seminis nō est calor igneus, ergo est calor cœlestis. Est enim calor tertius elemētū ignis qui facit ad generationem, atq; ideo dicitur calori cœlesti proportionalis. Illa uero est multo magis consecutio necessaria: Calor seminis est proportionalis calori cœlesti, ergo non est calor cœlestis: quod enim alteri est proportionale, non est idem quod illud alterū. Mens in anima, est proportionalis oculo in corpore, ergo mens non est idem quod corporeus oculus. Neq; inficias eo, calorem cœlestem esse causam generationis animalū, quoniā testante alibi Aristotele, Sol & homo generant hominem: sed nego esse instrumentū intrinsecum semini, de quo hoc loco libri secūdi de generatione animalū intelligit Aristoteles, quū quid sit illud quod facit semen secundū, nititur declarare. Hoc enim in semine cōtinetur, ut uerba Aristotelis planissime ostendūt. Motus autem æternorū & uolubiliū corporū, & formæ intellectuales sunt extra semen, ut clarius est quā ut egeat demonstratione. Galenus quoq; quem ad ostendendū calorē duplicem allegat Cōciliator libro quarto De simplici medicina, nō aliud eodem libro uoluit, nisi quod præter calorem seminum intrinsecū ex quibus fruges generantur, qui calor est anima ipsorū seminum, secundum Galenū etiā calor cœlestis ad frugū complementū exigatur. Sed neque ex uerbis Aristotelis à Cōciliatore adductis differentia quadragesimaoctaua, Corpus aut genituræ, &c. elicitur, quod Aristoteles uirtutē formatiua seminis uel intellectū uocauerit, uel quid diuinū, aut à corpore separabilem iudicauerit. Hæc enim omnia repugnant his quæ paulò supra in eodē loco determinauerat, quum mentem solā extrinsecus accedere, solam esse diuinā, nihilq; eius cōmunicare cum corpore,

*Sol & homo  
generant ho-  
minem.*



**A** corpore, hoc est esse à corpore separabilem, ostendit. Si soli hæc menti cōueniunt secundū Aristotelē, quomodo paulò post easdē etiā uirtuti formatiue tribuit proprietates, & quod mens appellet, & quod sit separabilis, et quod res diuina sit: Vnde illud quoque de ea colligi posset, quod etiam de foris accederet. Nam translatio Theodori, quæ & fidelior & multo clarior est antiqua, hæc omnia ostendit quæ diximus, si uerba quæ allegantur à Cōciliatore de uirtute formatiua, & nō de illa quæ proprie mens appellatur, & sola separabilis est, dicta intelligantur. Siquidē pro illis uerbis à Cōciliatore adductis, habentur hæc alia in translatione Theodori: Corpus autē genituræ in quo semen animalis principij contentū unā prouenit, partim separabile à corpore in quibus diuina pars comprehenditur, qualis est quæ mens appellatur: partim inseparabile, &c. Adapta hæc uerba uirtuti formatiue ut uult Cōciliator, debere adaptari, & planè sequentur illa quæ antea diximus, uirtutem scilicet formatiua mentem appellari, & esse partem diuinā, quæ cōprehenditur in semine, & præterea esse separabilem. Ex quibus etiā, ut diximus, colligi illud posset, ipsam uenire de foris. Sed hæc omnia etiam in propatulo falsa, uisus est animaduertisse Cōciliator, unde adiutus à barbaræ translationis obscuritate, mira glossata excogitauit, quæ nunquā, ut arbitror, Aristoteles sominauit. Ait enim uirtute formatiua, nō mentem uel intellectū simpliciter ab Aristotele nominari, sed intellectum uocatū ad differentiam intellectus potentialis & agentis. Sed uelim scire à Cōciliatore aut Cōciliatoris sectatoribus, ubi unquam legerint apud Aristotelē, uocatū esse intellectus proprietatē sicuti potentiale & agēs. Nōne hoc quoddam est nugamentū, si ita dicatur, quod uirtus formatiua ab Aristotele intellectus uocatus uocetur. Nequē enim hanc fugit Cōciliator nugationē, etiam si pro uerbo

**B** Vocatur, posuerit Nominat, ita scribēs: Nominauit autē eam Aristoteles intellectū uocatū. Si pro uerbo nominauit, uocauit dixeris, aperta uidebis nugationem. Sed & translatio Theodori quæ habet, qualis est quæ mens appellatur, manifestissime destruit Cōciliatoris expositionē. Alibi quoque Aristoteles per uocatū intellectū nō uirtutem formatiua, sed ipsum solum nudumque intellectū, qualis est qui intellectus agens nominat, nobis dedit intelligendū: ut quū primo libro de anima Timeū taxat non recte dicentē, animā esse magnitudinē, his uerbis: Primū quidē igitur non recte dicentē, quum animā dicat esse magnitudinē totius, uidelicet talem esse uult qualis uocatus intellectus. Uocatū autem intellectū significare hoc loco intellectū agentem, licet ex Themistij paraphrasi cōiectari. Cui cōsentit etiā expositio Commentatoris quæ ait: Timeum in uerbis suis per animā intellectū significasse, & nō uirtutem formatiua. Ait præterea Cōciliator, quod considerans Aristoteles uirtutem formatiua non habere organū adhuc figuratum in massa spermatica, uocauit eam separabilem. Sed meminerit Cōciliator non ea ratione aliquam uirtutem uocari apud Aristotelem à corpore separabilem, quia nō habeat organū figuratum: sed quia nō habeat organum corporeum, uel ut uerbis Aristotelis utar, quia eius actio nō cōmunicat cum corpore. Tali enim ipse utitur ratione in hoc ipso de quo disputamus loco, uolens probare solam mentem extrinsecus accedere: nihil enim cum eius actione cōmunicat actio corporalis. Reliquæ autē potentie animæ quum sint inseparabiles, ut ait, per se accedere nō possunt. Quorum enim, inquit, principiorū actio corporalis est, hæc sine corpore inesse nō possunt: Verbi gratia, ambulare sine pedibus. Itaque extrinsecus ea uenire impossibile est. In primo etiam libro de anima, ubi dubitatur, sit ne anima à corpore separabilis an nō, in hunc modum decidi ac definiti posse quæstionē Aristoteles arbitratur, ut si quod sit animæ opus aut affectio propria, possit contingere ut anima seorsum à corpore sit. Quia autem

*Virtus à corpore separabilis apud Aristotelem.*



**C** Aristoteles per operationem animæ propriā intelligat, non illam quæ sit sine organo figurato, sed organo corporeo simpliciter, indicat uerba Themistij sensum philosophi in loco statim allato explicantis. Sunt autē hæc, quæ uerbis paulò ante adductis subiunguntur: Sed si nihil est soli animæ propriū, imò corpus ad omnia munia in societatem participatumq; recipitur, siue illud hoc est quod oculis cernitur, quodq; forma ista quæ sub obtutum uenit & figura monstratur, siue interius & latentius aliud quale cōminiscebatur Plato, nō potest cōtingere ut seorsum à corpore habeatur obmaneatq;: alioquin ociosum aliquid natura creauerit, quod defendi nō potest. Ex his satis arbitror esse ostensum nō posse uirtutem formatiuā, quæ ut etiam concludit Conciliator, habet corpus subtile pro instrumento, aliquo modo separabilem nominari secundū Aristotelis opinionē. Quod autē neq; res diuina ab ipso uocetur, illa ratione probat, quia cū corpore aduenit, semine scilicet, quod est excrementū alimenti. Absurdū autem uidetur ut alicui excremento res quæpiam diuina tribuatur natura. Et ob similem rationē negauit Aristoteles uirtutem intellectualē, quæ res diuina sit, cū semine prouenire, quod sit excrementū alimēti, unde eam extrinsecus accedere pronūciauit. Si ergo Cōciliator uirtutem formatiuam rem cōcedit esse diuinā, cogitur autē id cōcedere si uerba illa omnia: Corpus autē genituræ in quo semen animalis principij cōtentum unā prouenit, partim separabile à corpore, in quibus res diuina comprehenditur, qualis est quæ mens appellatur: de uirtute formatiua dici ab Aristotele intelligatur. Hanc quoq; uirtutem & nō solum intellectualē accedere extrinsecus unā cogetur fateri, quod nos posse colligi ex Cōciliatoris sententia etiam antea significauimus: quū præsertim Aristoteles uirtutē, de qua loquitur in uerbis adductis, nō aliquo modo separabilem, sed simpliciter separabilem, & nō quasi diuinā, sed omnino diuinā, & talem qualis quæ mens appellatur, esse nobis insinuauit. Quod animaduertens Michaël Ephesius, cuius plures habentur in libros Aristotelis græce scriptæ expositiones, in quibus præsertim libris desunt Alexandri cōmentationes, hunc locum exponens, nō de alia uel uult hæc uerba ab Aristotele scribi, q̄ de ea de qua etiā paulò supra idem Aristoteles in eundē ferē sensum hæc uerba scripserat. Restat igitur ut mens sola extrinsecus accedat, eaq; sola diuina sit. Nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis. Sequentia enim uerba quæ in græco codice ita se habent, τὸ δὲ τῆς γονῆς σῶμα, γνῶστωσιν ἀπέχεται τὸ σπέρμα τὸ τῆς ψυχικῆς ἀρχῆς. τὸ μὲν χωριστὸν ὅτι σῶμα ὅτις ἐμποδισθὲν ἀπέχεται τὸ θεῖον. Ἰδιῶτος δὲ ὅτι ὁ καισῆμος νῆς. τὸ δὲ ἀχώριστον, τοῦ το σπέρμα τῆς γονῆς διαγίνεται καὶ πνθλματῶται, φύσιν ἔχον ὑγραὶν ἢ ὑδατῶδι. Hoc est, si uerā uolumus facere translationē, & quasi uerbū ex uerbo: Genituræ autem corpus in quo unā prouenit semine principij animæ, hoc quidem à corpore separabile, in quibus pars diuina cōprehenditur, qualis est quæ mens appellatur: hoc autē inseparabile, hoc genituræ semen dissoluit, &c. Hæc inquā uerba facit Michaël Ephesius præcedentibus cōsonare, supplendo uerbum relatiuū Cuius, atq; ita legendo: Genituræ autē corpus, in quo unā prouenit semen principij animæ, cuius scilicet animæ hoc quidē est separatū, ueluti qui deforis intellectus: hoc uero inseparabile, scilicet pars irrationalis. Ex hac Michaëlis Ephesij expositione liquidò constat uirtutē seminis formatiuā, neq; intellectu uocatū ab Aristotele nominari, neq; separabilem ullo modo ab ipso censerī. Hæc enim nō uirtuti formatiuæ, sed illi quæ intellectus, aut mens ab Aristotele dicitur, accommodantur. Est autem & altera expositio eorundem uerborū Aristotelis apud Cardinalem Bessarionem in Platoniarū defensionum libro secūdo, capite uigesimosecūdo, studentē probare idem sensisse cum Platone Aristotelē de unione animæ cum corpore per mediū aliquod corpus nature

Ociosum nihil à natura.



**A** turæ excellentis, quale erat uehiculū illud animæ à Platone descriptū ex corpore lucido æthereoq; contractū: quod quidem uehiculū quidam Platonis calumniator dignū irrisione iudicarat. Verba Bessarionis loco allegato sunt hæc: Enimvero hæc rationē unionis extremorū per mediū usq; adeò necessariā & Aristoteles ipse putauit, ut idem ferè libro de generatione animalium secundo dixerit, unionēq; animæ cū corpore hoc corruptibili fieri statuerit, intercedente alio corpore diuiniore ipsis elementis, ac separato. Omnis, inquit, animæ uirtus aliud sortiri corpus uidetur, & his quidē diuinius quæ uocant̄ elemēta. Atq; ut animæ inter se nobilitate uel ignobilitate differunt, sic talis natura corporis inuicem differt. Et paulò post de eodem corpore loquens: Hoc, inquit, nō ignis est, neq; ulla talis potentia, sed spiritus qui in semine illo genituali spumeoq; concipitur, & natura quæ in ipso spiritu analogæ est elemento stellarū. Quinetiam paulò post id ponit partim à genituræ corpore separatum, partim non separatum, quod scilicet crassius ac materialius humidum atq; aquosum sit. Hoc enim difflari ac dissolui per totū sperma existimat tanquam in lacte coagulū. Nulla igitur ratio est cur irridere Platonem aduersarius debeat, quod animā existimauerit cum excellentis naturæ corpore ad generationem accedere. Hæc Bessarion ad uerbū, uolens ut diximus cōuenire Aristotelem cum Platone super animæ uehiculo, demonstrare. Nō differt autem hæc expositio uerborum Aristotelis à prima Michaëlis Ephesij recitata, nisi in eo quod separabiles atque inseparabiles differentias altera partibus animæ tribuit, scilicet intellectuali & irrationali, altera corpori quod est uehiculum animæ, quod Aristoteles esse separabile dicit, in quibus pars diuina cōprehenditur, quasi altera, scilicet irrationalis & appetitiua uehiculū habeat, atq; subiectū crassius, & à corpore hoc corruptibili inseparabile. Nam quū ipsa sit corruptibilis, subiectū quoq; habuit corruptibile. Ut enim, inquit, sicuti animæ inter se nobilitate uel ignobilitate differunt, sic talis natura corporis inuicē differt, Hanc etiam opinionē Aristotelis atq; Platonis super eodem uehiculo animæ cōcordiam tangit Themistius in paraphrasi primi libri Aristotelis de anima, ubi illorū sententiā recitat, qui omnia hæc quæ sub aspectum & oculos recidunt & subiecta sunt nobis, ab anima respuunt, diuinā quandam & celestem naturā adhibēte qua animus atq; mens sit. Probabilis enim, ait Themistius, & ratione nixa sententiā. Nam apud Platonē uehiculum illud rarū ac splendidū nihil aliud, q̄ ingeniū ē quo animus constet, ostendit. Apud Aristotelē quoq; naturā quandā animæ tributā inuenias quæ quinto corpori proportionē respondeat, quā ad omniū animalium animas pertinere censuit. Videtur ergo Aristoteles secundum istos uiros, nō minus Aristotelicæ q̄ etiā Platonicæ sectæ familiares, loco illo libri secūdi de generatione animalium, quem unā Venetijs uidimus, nō de uirtute loqui formatiua, sed de uehiculo animæ, quod partim sit separabile, & partim inseparabile. An uero uehiculū hoc præsertim lucidū & æthereū quod ad animā pertinet rationalem, in semine aliquādo cōtineatur, ut uident̄ uerba Aristotelis significare quū inquit: Corpus autē genituræ in quo semen animalis principij cōtinentum unā prouenit, partim separabile: nō parū habere possit dubitationē. Quā etiā augent uerba Themistij supra recitata, quæ innuunt naturā illam quinto corpori proportionālē, quā Aristoteles animæ tribuit, ad omniū animalium animas pertinere. Sed hunc alterius quæstionis scrupū his qui tam Platonicæ, q̄ etiā Aristotelicæ disciplinæ sunt studiosi, nos in cōmune discutiendū relinquimus. Hæc tantū sufficiat annotasse, quæ ad eius loci libri secūdi de generatione animalium, quem unā Venetijs uidimus, aliquam faciunt intelligentiā. Et omnino probant hoc duo uerba, intellectū, uocatū, longe aliud apud Aristotelē q̄ uirtutē seminis, quā formatiua uocat,

*Analogæ, id est  
proportionē et  
ratione respon  
dētis.*



significare. Tu uero fortassis non hæc solum, sed quid omnino sit uirtus informati-  
 ua secūdum Aristotelem à me scire desiderās, id scilicet quod etiam Galenus à phi-  
 losophis discere mirum in modum affectauit, & tamen apud ipsos nō potuit inue-  
 nire, ut uerba testantur quæ ab eodem Galeno in libro de fœtus generatione scri-  
 pta inueniuntur in hunc modū: Iam ad ea de quibus præcipue in hac intendimus  
 tractatione descēdentes, ostendemus philosophos, neq; illa quæ à medicis sunt re-  
 cte quæ sita, digna ullos inquisitione existimasse. Sed quum dixere formari à natu-  
 ra conceptū, putasse se plus aliquid dixisse, q̄ nomē notitiæ uulgaris. Nemo enim  
 est tam rudi atq; hebeti ingenio, qui nesciat causam esse aliquā conceptus genera-  
 tionis, quam naturam uocamus omnes: eius tamen ignorantes substantiam. Ego  
 uero sicut ostendi, nostri corporis opificiū summā præ se ferre sui cōditoris sapien-  
 tiam simul ac potestatem, ita opto ut mihi philosophi ostendant quis sit ille opifex  
 deus, ne aliquis sapiens ac potēs, qui quidē prius excogitauerit quale oporteat sin-  
 gulorum animalū corpus formare, deinde facultatem adhibuit, qua talem affinge-  
 ret qualem antea mente conceperat: deus ne inquam, an anima alia quā diuina.  
 Neq; enim illam quam naturā uocant, siue corporea, siue incorporea sit secūdum  
 substantiam, an tantū dicent sapientiæ fastigiū prouenire, cuius esse illam penitus  
 expertem asseuerāt: unde nō sit uerisimile tanto hanc usum fuisse in fœtu forman-  
 do artificio. Nam & Epicurei, & aliorū qui omnia aiunt absq; prouidētia fieri, iam  
 pridem est explosa sententia. Atqui necessariū est uel secūdū aliquem motum ra-  
 tionem atq; arte carentē, ad aliquem optimū finem pertingere fœtus formationē, uel  
 sicuti qui uisu admiranda cōstruunt, ubi his aliquod motus principium indidēre,  
 ipsi recedūt, quæ uero ab ipsis fuere cōstructa usq; ad modicū temporis mouentur  
 artificiose: ita & deos ubi tot tribuerūt plantarū motuum idoneas, atq; animalium  
 seminibus successiones, uacare ipsos, & nihil subinde agere. Sed primū ex his nō  
 oportet refellere, cum sit opinione hominū reprobatur, ad quas præsertim hic ser-  
 mo à nobis habeatur. Secūdū autem diligentem exigit perscrutationem, an fieri  
 possit, ut talis qualem intuemur oculis humor, genituræ ad tantum numerum mo-  
 tuum sibi inuicem succedentiū sufficere ualeat, neq; ostendat in aliquo, donec ad fi-  
 nem perueniat opportunū. Nam sicuti uidetur incredibile, ut quod fit à fortuna in  
 tanta partiū multitudine non aberreret: ita temerariū apparet opinari eam motuum  
 consecutionē esse artificiosam, quæ ab ea fit substantia quam ipsi esse irrationalem  
 asseuerant. In his uerbis Galenus notat Aristotelem, atq; eius expositorem Ale-  
 xandrum, qui causam generationis animalū ad potentiam quandam referunt irra-  
 tionalem, quam naturā uocant, atq; eius motus quibusdam motibus ab arte factis  
 assimilant, qui spontini dicuntur, quibus initiū dat quod aliquid tangendo mouet,  
 deinde ipso cessante ab opere, prima pars mota mouet aliā, & ista subinde aliam,  
 atq; ita deinceps, adeo ut uideātur omnes citra primā sponte moueri, quæ tamen  
 principium suæ motionis aliunde habuerūt, scilicet à mouente primum. Sic enim  
 & in generatione animalis secūdum Aristotelem uidetur contingere: nam pater  
 est ille qui semini indit uim quandam motricem, quæ mouet materiam, sanguinē  
 scilicet menstruū, quem mater exhibet. Primus autem motus secūdū ciet, secun-  
 dus tertium, tertius quartum, usque ad complementum generationis. Talem assi-  
 gnari modū à philosophis Peripateticis nostræ generationis testantur uerba Ari-  
 stotelis secūdo de generatione animalū, ubi quærit causam efficientem membra-  
 rum animalis. Proponit autē quæstionē hoc modo: Sed hoc loco nō ex quo oriānt  
 quærimus, sed à quo partes corporis generantur. Aut enim extrinsecus aliquid in  
 genitura & femine instrumentū agit, idēq; aut pars aliqua animæ, aut anima, aut ha-  
 bens

Apta simi-  
 litudo.



**A**gens animā est. Postea ad utranq; partem Aristoteles argumentatur, & rationibus si non ueris saltem uerisimilibus probat nō esse possibile, ut aliquod extrinsecum unumquodq; uiscerū, aut alias partes efficiat. Vnde uidetur posse concludi, quod pars aliqua intrinseca sit illa quæ omnia facit. Sed hęc quoq; destruit cōclusionem, & demū uolens totā soluere dubitationē, scribit hęc uerba: Hęc igitur soluere cōmandū est. Fortasse enim aliquid ex his quæ diximus nō simplex est, ut ab extero nihil effici possit: nam & est ut possit, & est ut non possit. Sed semen an id à quo semen dicamus, nihil refert, quia motū quem illud mouebat semen in seipso cōtinet. Fieri autē potest ut hoc ab hoc moueatur, & hoc ab hoc sit perinde quasi admirabilia illa spontina. Partes enim habent uim modo quodā etiā quū quiescunt, quarū primam ubi extrinsecus aliquid mouerit, statim proxima actu efficiūt. Vt igitur in spontinis illis quodāmodo illud mouet, quod nihil nunc tangit, sed ante tetigit: sic id à quo semen, aut quod semen effecit, mouet, quum aliquid tetigerit, quanq; non adhuc tangit, & motus qui inest quodā efficit modo, ut ædificatio ædes. Igitur aliquid esse quod efficiat, sed non ita ut hoc quicq; nec perfectū inesse primū agens, apertū iam est. Quemadmodū autem unūquodq; fiat accipiendū hinc est, hoc initio omnia quæcunq; aut natura aut arte efficiuntur ab eo quod actu est, fiunt ex eo quod potentia tale est. Semen igitur tale est, motumq; habet & principium tale, ut motu peractio pars existat, quæq; eadem, sitq; animata. Nō est enim facies nisi animam habeat, neq; caro, sed corrupta æquiuoce dicet facies aut caro, perinde quasi lapidea aut lignea facta sit. Simul autē partes similes & instrumentales, siue officiales efficiūtur. Et quemadmodū non securim, non aliud instrumentū dixerimus factū ab igne solo, sic nō pedem, non manum, eodemq; modo ne carnem quidem: **B** nam eius quoq; aliquid officii est. Dura igitur, mollia, lenta, rigida, & quicūq; alij affectus partibus insunt animatis, à caliditate & frigiditate effici possunt: At ratio qua iam caro aut os est, nō potest: sed à motu proficiscente efficitur ab eo quod genuit, quodq; actu est id quod potentia est, id ex quo gignit, quomodo in his quoq; agitur quæ arte efficiuntur. Ferrū enim durū aut molle efficitur calore uel frigore: at uero ensis à motu instrumentorū, qui artis obtinet rationē. Ars enim principii formaq; eius quod efficitur, sed in alio. Motus autē naturæ in ipso est ab altera profectus natura, quæ actu obtinet formam. Hęc quidē Aristoteles. Ex quibus liquido apparet ipsam à Galeno notari, quod naturam tantū, & nihil aliud esse dixerit causam generationis animalium, atq; eius motus spontinis motibus assimilauerit. Sed & Alexander expositor Aristotelis apud græcos nobilissimus, eūdem modū explicat animantiū generationis, & plane naturā à qua hęc generant, potentiam esse irrationalē asseuerat. Licet autē cōmentarij Alexandri, neq; in libros de generatione animalium, neq; in alios de naturali auscult. ætate nostra habeant, Simplicius tamen inter expositores Aristotelis autor & ipse clarissimus, exponens primū librum eiusdē Aristotelis de naturali auscultatione, ubi de causis agit præcipue exemplari atq; formali, adducit uerba Alexandri: quæ non parū faciunt ad intellectū uerborū Aristotelis, quæ nos supra ex secūdo lib. de generatione animalium recitauimus. Et post diligentē uerborū Alexandri examinationē, demū quid sibi uideat adiungit. Vtranq; duorū expositorū Aristotelis de generatione naturali sententiā hoc loco subiiciemus, quoniā nō minimū ad id quod tu quæris de uirtute formatiua secundū Aristotele, uidentur cōducere. Ex quibus insuper cōstabit illos errare qui autore Aristotele, eandē uirtutē uocāt intellectū, quā idem Alexander dicit esse irrationalē: & quidē Aristoteli cōsonē, qui libro secūdo de naturali auscult. ea quæ à natura fiunt, his quæ ab intellectu, ex aduerso distinguit. Nō eodē modo, inquit



**C** Alexander, in his quæ gratia alicuius fiunt omnibus finis se habet, & exemplar. Sed quæcūq; quidē per electionem & artem & rationem fiunt, in his necessariū est finem, cuius gratia alia fiunt faciente cogitatū, & tanq̄ signū proponi & exemplar eorū quæ futura sunt. In his aut̄ quæ à natura fiunt, nō ita; neq; enim per electionē natura operat̄, neq; secundū rationē quæ ipsi insit. Potentia enim irrationalis natura est, sed principio indito materiæ quæ & principij, & eorum quæ ab ipso & ex ipso futura sunt, est susceptiua. Hoc primū ipsi materiæ inditū fecit quidē illud cuius est effectiuū, quum præfinitū quoddā sit. Quod uero ex ipso factū est, aliud efficit: nam singulū ipsorū eius quod sequitur, est effectiuū atq; motiuum, si nihil impediat: & hoc usq; ad aliquem finem & formā naturalem, cuius erat principij id quod primū fuit materiæ inditū. Quemadmodū enim in his quæ uero impelluntur, ubi artifex principij motus indiderit, primū hoc sit sequentis motiuum, & illud deinceps alterius, donec per quandā successionē motus in omnibus peragatur, nisi aliquod obstaculū interueniat: & hoc totū sit nō mouentibus primis subsequentiā per aliquā rationem, aut electionē ipsis inexistentem. Sic autē & mandata feminis natura atq; facultas propriæ materiæ, ut ipsa mouere, illa aut̄ moueri apta est. Potētia uero indita ex motu primo, aliam rursus facit motionē atq; potentiam nunquā cessantibus motibus, donec simile ei à quo mandata est, generetur, & uel idē specie uel genere, sicuti in multis contingit, & alijs quæ ex dissimilibus generantur. Hæc quidē Alexander: quæ uerba Simplicij, ut dixi, nō cessat identidem in dubitationē reuocare, & tandem sui iudicij calculum apponit ita scribens: Ad huc autem quæ de generatione rerum naturalium dicuntur, scilicet ab Alexandro, mihi animaduersione digna uidentur. Si enim quod prius iniicitur ipsum quidē illud efficit cuius est effectiuū, & quod ex hoc factū est, aliud, & singulū illius quod sequitur ipsum est effectiuū atq; motiuum usq; ad finem & formā naturalem, cuius erat principij, quod primū materiæ fuit iniectū: Si inquam ita generatio perficit̄, & prius granū germen emittit, germen culmū, culmus spicam, quomodo perfectiora fiunt ab imperfectis? Deinde quid sit totius causa, assignare non possumus. Nam quū una forma sit, unā etiā causam esse oportet ante particulares. Omnino autē si prioribus alteratis sequentiā fiunt, illa quæ præcedūt materiæ magis rationē obtinebūt, & non causæ efficientis: nuncq; enim efficiens causa alterata opus euadit. Præterea si nō quodcūq; ex quocūq; generat̄, sed ex eo quod tale potentia est, manifestū est quod germen potentia culmus. Omne autē quod potentia est, materiale est, & nō effectiuū. Quare germen materia culmi rationabiliter diceretur, minime autem efficiēs causa. Deinde omne quod ex potentia ad actum peruenit, ab altero quod actu sit perducit̄ ad actū. Si igitur germen non est actu culmus, nuncq; efficiet culmū actu. Omnino autē si uniuscuiusq; natura & causa motionis simile sibi subiectū & nō alteri facit, liquet quod natura feminis semen faciet, & natura hominis hominē. Quomodo autē proprie hominē faciet ea quæ est in semine, quæ nondū est hominis natura anteq; homo fiat? An sicuti dictū est antea, ipsa simul facit & fit, quia aptitudinē habet, & uita quædā exurgēs est & ad formā excitata? Siquidē natura uirilīs feminis & mulieris, naturā habet quæ trāsmutari desiderat, & ad animal perfici. Quia autē proprie efficiens est, & proxima causa est, materna natura atq; paterna: in stirpibus uero natura tritici, & terra: etiā forma secundū actum in patre præcedat & matre, & in rationibus quæ actu insunt in terra, secundum quas ea quæ potentia sunt ad actum perducuntur. Atq; hoc modo natura eius quod generatur si factiua dicit̄, ita factiua est, ut & ipsa simul fiat. Quæ uero proprie factiua est: quæ actu talis existit: quoniam natura similis est generatrix, & omnia intermedia illius



**A** illius gratia præaccipit: Et si interim alteratur natura dum simul fit & facit, unū tamen ordinē seruat cōtinuatum usq; ad finem, ad quē quum peruenit, cessat ab opere. Dicit autem Aristoteles, quod natura sunt quæcunq; ab aliquo principio, quod ipsis insit, cōtinuo mota ad aliquem finem perueniūt, in quo cessant à motu. Quare & in homine præassumpta est geniti ratio, & secundum illam fit id quod fit, patre quidem dante principiū motus, & usq; ad finem motionē per semen: Sicuti in his quæ neruo impelluntur, artifex indit principiū motus & impetum ad finem, secundum illam quæ in ipso præexistit rationem totius ordinatæ motionis, materna autem natura adhuc proximius specificante. Quomodo autem potentiam irrationalem naturam nominat, quæ propter finem aliquem agit, & ordinatim procedit secundū numeros & præfinitas mēsuras? At duplex est efficiens ratio, altera quidem quæ cum cognitione facit, quam solam putat expositor rationē: altera sine cognitione & ad seipsam cōuersione, ordinate autē & determinate, & propter finem aliquem principalem. Et quemadmodū quod nō cognoscit irrationale uocatur ad rationem cognoscentem cōparatum, sic illud quod temere, & absq; ordine facit, irrationale est, si ad illud quod ordinate & determinate ac gratia alicuius agit, conferatur. Sicuti igitur secundū hanc rationem fiunt ea quæ natura constant, sic secundum exemplar, non tanquam efficienti notum atq; propositū, sed sicuti efficiente suo esse, & non per electionem assimilante sibi quod fit, quemadmodū annulus sigillum. Aristoteles quoq; in libro secundo de generatione, contra Empedoclem disputans, naturā concedit esse rationem. Sed quomodo sine cognitione efficientis est ordo & præfinitus finis in actione? Etenim res naturales talem habent cōstitutionem, quod sine cognitione aliqua ipso esse seruāt ordinem & cōsecutionem, & in præfinitū desinūt finem, sicuti quæ neruo impelluntur. Verū quo modo sine efficientis cognitione ordo est & finis in efficientia præfinitus? Etenim res naturales talem habent constitutionem, quod causæ sine cognitione ipso esse seruāt ordinem in generatione, & consecutionem, ut in eorum quæ neruo impelluntur, euenit motu. At res naturales uel casu fiunt, quod absurdū sit dicere, uel ipsa seipsa talia cōstituunt, uel aliqua alia causa. Vt cūq; res sese habet, cognita omnino substantia talis euasit. Nam quod mentis potentiā ad illa quæ fiunt cognoscens utrunq; efficiebat. Quare rectū est ut naturam potius cōcausam dicamus, proximas uero causas eorum quæ generantur & corrūpuntur cœlestium corporum motus, secundū quos hæc inferiora transmutantur: Superiores autem causas, rationes horum motuū in anima sitas. Et adhuc supra has formas intellectuales, ex quibus primis delibatur omnibus lux formalis pro natura & aptitudine recipietis. Hæc quidē Simplicius, qui & ipse sicuti Galenus, absurdum putauit generationem animalium soli naturæ tribuere, ut quæ sit potētia irrationalis & expers cognitionis: Quare maluit eam cōcausam nominare, siue instrumentalem: Superiores autem causas sicuti animā ipsam, mentem eximiam, & formas intellectuales, hoc est ideas, potiores causas iudicauit. Quare qui aiunt uirtutem formatiuam uocari ab Aristotele intellectum, melius fortassis dicerent eam esse supremi intellectus instrumentum. De quo tamen Aristoteles generationem naturalem naturaliter tractans, nullam facit mentionē: quin potius secundo libro de naturali auscultat, nolens causam separatā attingere, ne doctrinā theologicā cum physica cōfunderet, naturā negauit cōsilio agere ac ratione, & de ea tanq; de potētia irrationali locutus est. Quem uerborum sensum etiam in sua expositione secutus est Alexāder. Simplicius uero, qui quantum potuit Platoni Aristotelem studuit facere cōsentientem, ne naturæ opera sine cognitione aliqua & ueluti casu facta uiderent, illis non modo naturam ac cœlum,



C sed præterea animam & formas intellectuales pro causis arrogauit, atq; ita Galeni  
 dubitationi satisfecit. Cui propè temerarium uisum est, tot mouionum consecutio-  
 nem, tam que artificiosam fieri à potentia, quam philosophi dicunt esse irrationa-  
 lem: sicuti & Scotus, & quidam ex recentioribus Scoti sectatores similiratione ne-  
 gauerunt: semen aut eius uirtutem sufficiens esse principium generationis anima-  
 lium, & concausam potius, nō quidem generationis membrorum animalis, sed al-  
 terationis magis præcedentis esse dixerūt. Præcipuas autem causas eiusdem gene-  
 rationis deum & calorem cœlestem uirtuti diuinæ consentientē asserere non dubi-  
 tarunt: uisi tamen plus ad Platonicū quam ad Aristotelicū dogma declinare. Nam  
 naturam causam esse generationis animalium, licet Simplicius platonizans eam ma-  
 lit concausam nominare, constat ex uerbis antea recitatis ex libro secundo de ge-  
 neratione animalium, ubi assignans Aristoteles inter artem atq; naturam differen-  
 tiam, ita scribit: Ars enim principium formæ eius quod efficitur, sed in alio: Motus  
 autem naturæ in ipso est ab altera profectus natura, quæ actu obtinet formam. Lo-  
 quitur autem hoc in loco Aristoteles de motu naturæ in semine existentis quū ge-  
 neratur animal, quæ siue causa sit, siue concausa generationis animalium, non par-  
 uam adhuc adfert quid ipsa sit, philosophantibus dubitationē: Vtrum anima uel  
 uirtus animæ, aut natura seu potētia naturalis, quæ de imperfectiori transit ad per-  
 fectius, & causa est generationis substantiæ, ut Simplicius in prædicamentis uideat-  
 ur existimare, inquit: In omni autem mundo si qua generatio prouehitur, non  
 aliter quam per potētiam ad substantiam prouehitur atq; perficitur, materiaq; quū  
 recipit formam, per potētiam ad ipsam peruenit: Hæc autem potētia uel per se-  
 ipsam sufficiens est prouehi, quemadmodum in animabus ex se mobilibus, uel ad  
 perfectū ab actu prouehitur. Loquitur autem Simplicius inibi de naturali potē-  
 tia, quam uult esse secundam speciem qualitatis, de qua eodem loco etiam hæc uer-  
 ba protulit: Est autem uniuersaliter hoc genus existens omnibus, quæ quouis mo-  
 do perficiuntur: neq; enim omnino ab imperfecto ad perfectum quippiam aliquid  
 peruenit, nisi media adsit potētia, addens quidem illud quod deficit ad perfectū,  
 complementum autem suscipiens à perfectissimo. Hanc potētiam naturalem Sim-  
 plicius in libris de physica ausculti, naturam uocat, & uult esse principium, partim  
 passiuum, partim actiuum, ut uerba eiusdem Simplicij supra à me recitata demon-  
 strant. Et cum natura multis modis dicatur, de materia scilicet, forma, & cōposito,  
 & generatione, & causa efficiente eiusdem generationis, quæ tamen ita efficiens,  
 ut etiam fiat naturæ hoc ultimo modo dicte, uult Simplicius præcipue conueni-  
 re naturæ definitionē ab Aristotele libro secundo de naturali auscultatione assigna-  
 tam. Naturā quoq; hoc modo acceptā, sentit idem Simplicius esse ab anima diffe-  
 rentem: Ait enim Aristotelē atq; Platonem nō eodē modo dicere naturā esse prin-  
 cipium motus corporibus, sicuti & animam: quoniam natura non est principium  
 motionis actiuæ, sed passiuæ magis. Et allegat Aristotelem dicentem libro octauo  
 de physica auscultatione, quod corpora naturalia non sunt ex se mobilia sicuti ani-  
 mata: possent enim & se sistere, & à motu cessare, si possent mouere seipsa. Quare  
 subiūgit Simplicius: Videri naturā esse aptitudinem quandam ad moueri & perfici  
 que ueluti de sub & supra germinat, & sua aptitudine prouocat causas perficien-  
 tes: Si enim esset motus principium, ut aliquid mouens, nō esset inter ipsam & ani-  
 mam, & causam primā mouentem, differentia. Sed quoniā corpora longe ab indi-  
 uisibili atq; incorporea natura distantia, atq; ab illa quæ secundum ipsum esse uitæ  
 consistit, mortua facta sunt, & per seipsa nihil spirantia, atq; ad omnem uitam refri-  
 gerata, ultimam quandam uitæ speciem in seipsis habuerunt, quod est secundum  
 potētiam

Natura multis  
 modis dicitur.



**A** potentiam & aptitudinem hanc quam naturam uocamus: propter quam etiam mortua moueri possunt & transmutari, & hoc ipsum quod dicitur nasci, & adinuicem passiuè quodammodo agere. Neque enim syncerae sunt horum actiones, sed passibiles, unde omnia corpora naturalia mota mouentur. Atque illud quod proprie immobile est, ipsum est quod mouet, ut ait Aristoteles. Ex his uerbis Simplicij atque alij supra recitatis apparet, naturam, quae est motionis principium in semine quum generatur animal, non esse animam, neque uirtutem animalem, sed naturalem: siquidem secundum ipsum natura ab anima differt, & est ea imperfectior, ut quae sit principium non minus passiuum quam actiuum, & potentia quaedam iuuans in animatis ad animae introductionem in materiam, quam naturam Alexander uocat primū principium materiae mandatum, ut uerba eius indicant à Simplicio allegata. Quare mirandum est de Auerroë, qui in expositione libri septimi de prima philosophia, ait Alexandrum uideri consentire ei quod ab Aristotele dicitur eodem libro, loco quo scribit semen facere sicuti quae ab arte, quia habet potestate speciem: Et his etiam quae in eandem sententiam scribuntur ab Aristotele de animalibus. Postmodum in cōmentatione eiusdem loci propriam & Aristotelis recitans opinionem, scribit haec uerba: Nos autem dicamus, quod quum considerata fuerit demonstratio Aristotelis in hoc loco, super hoc quod formae materiales sunt generantes formas materiales, apparebit quod semina sunt illa quae dant formas rerum generatarum à seminibus per formas quas dederunt semina generantia: in generabilibus autem non ex se, id est casu apparebit quod corpora caelestia sunt illa quae dant istis aliquid loco feminum & uirtutum, quae sunt in seminibus, & in eis quae generantur ex semine: & quod omnia ista sunt uirtutes naturales diuinæ generantes sibi similia, secundum

**B** quod artes generant sua artificata. Et ideo dixit Aristoteles libro de animalibus, quod haec erunt similes intellectui, scilicet quia agunt actiones intellectuales, & istae uirtutes assimilantur intellectui in hoc, quod non agunt per instrumentum corporale. Et in hoc differunt istae uirtutes generatiuae, quas medici uocant formatiuas à uirtutibus naturalibus, quae sunt in corporibus animalium. Istae enim agunt non actione intellectus operatiui, sed agunt per instrumenta terminata, & membra propria: Virtus autem informatiua non agit per membrum proprium. Et ideo dubitat Galenus & dicit: nescio utrum ista uirtus sit creator aut non, sed uniuersaliter non agit nisi per calorem qui est in semine, non ita quod sit forma in eis sicut anima in calore naturali, sed ita quod sit inclusa in eis sicut anima est inclusa in corporibus caelestibus. Et ideo Aristoteles magnificat hanc uirtutem, & attribuit illam principijs diuinis, non naturalibus. Sed istam uirtutem se intelligere dum separata est, est impossibile. Mirandum est inquam de Auerroë, qui haec omnia Aristoteli ascribat secundum Alexandri expositionem, qui naturam seminis potentiam ait esse irrationalem, nedum ipsam uocet intellectum, aut agentem ratione intellectus operatiui: ob quam differt ab alijs uirtutibus naturalibus, quae non ita agunt, sed per instrumenta terminata, & membra propria. Verum haec omnia neque esse consentanea Aristoteli, neque ex uerbis eius quae secundo libro de generatione animalium scripta inueniuntur, elici posse satis antea demonstrauimus. Neque uero Galenus ob id dubitauit, utrum uirtus formatiua esset creator, an creatura, quia uideret ipsam non agere per instrumentum proprium, scilicet aliquod membrum figuratum: sed propter summum eius artificium, quod uidebatur uires naturae transcendere. Atque ideo in hoc non est concors Aristoteli, atque Alexandro eius expositori, ut uideatur Auerrois uelle medicum philosophis conciliare, inter quos alibi dissidium quaerit: sed longe dissenties, quoniam illi naturam facerent potentiam irrationalem mirabilium operum quae appa



erent in generatione animalis, autorē. Nō solum autem Auerrois male in sua com-  
 mentatione allegat Alexandrū, quasi eadē cum Galeno de uirtute formatiua sen-  
 tientem, sed Themistium etiam non recte arbitratur cum Auicenna de datore for-  
 marum cōuenire. Themistius siquidē quid opinetur, de his quæ ex semine gene-  
 rantur animalibus, manifestū se facit in paraphrasi librorum de anima Aristotelis  
 primo scilicet libro, cap. uigesimoprimo, ubi contra Timeū disputans, & alios qui  
 haudquaquē sufficienter de anima scripsissent: Nam nequē quemadmodū affectū di-  
 spositumquē esse corpus animandū deberet esse, nequē quæ cognatio inter animā &  
 corpus habeatur, unquam dixissent. Tandem in fine capituli scribit hæc uerba: Iam  
 si artium ea esset natura, ut in suis instrumentis habitare, atque in ea ingredi sua spon-  
 te possent, utique tibiciniū in tibus nō in lyram intraret, lyricinium in lyras non in ti-  
 biam transiret: igitur & animas in suum aliquod proprium corpus, si suum animæ  
 instrumentū corpus est, diuertere oportebit. Dixi diuertere, imō non diuertit, sed  
 fabricatur architectaturque sibi cōueniens accommodatumque instrumentū. Deformat  
 ipsa sibi, & præparat domiciliū nō deformatū antē & præparatū, demū subit. Non  
 enim quemadmodū cithara dedolatur prius & cōditur, tum demū adhibet ad mu-  
 sicam, ita & corpus ornatur antē, instruiturque, mox animæ sumendū offerit. Quale  
 igitur singulis animis corpus instrumentūque cōueniret, item qua ratione anima il-  
 lud sibi confingeret, neglectum à Timeo penitus, & retro habitum. Ex his uerbis  
 Themistij apparet nō uere de ipso existimari, quod idem dixerit de uirtute forma-  
 tiua quod Auicenna: Nam Auicenna, ut refert Cōmentator supra allata cōmenta-  
 tione, credidit omnes formas esse ab intelligentia agente, quam uocat datorem for-  
 marum. Themistius uero nō agens separatū, sed animā ipsam formare sibi corpus  
 quod subit, liquidō insinuat. Vnde uidetur sensisse semen maris, quod architectat  
 & fabricat secundū Aristot. esse animatū, quando eius anima est illa quæ ex mate-  
 ria, quā fœmina præbet, suū sibi facit domiciliū. Neque enim est anima patris gene-  
 rantis, alioquin migraret à corpore in corpus, neque ob eandem rationē anima ab-  
 stracta, quam secundū Themistiū oportet his quæ ex putrida natura generantur,  
 dare creationē, lineationem, & animā. In his autem quæ ex semine non sit necessa-  
 rium, quū anima seminis à generante semini indita, sufficiens sit formare & anima-  
 re materiā sibi conuenientem. Semen autem maris, quod uicem gerit artificis atque  
 architecti, esse animatū secundū sententiā Aristotelis, nō repugnat his quæ ab eo-  
 dem autore scribuntur lib. secundo de generatione animalium, ubi quærit, habeat ne  
 semen animā. Et ex suo sermone uidetur sentire, quod semen sit animatū potentia  
 quidē: sed ea qua geometer dormiens uel uigilans quidē, nō autē operans dicitur  
 geometer. De qua etiam potentia fortē intellexit Aristoteles libro secundo de ani-  
 ma, quū ita scribit: Semen autē & fructus potentia tale corpus est, scilicet animatū.  
 Vel per semen intelligit Aristoteles sanguinē menstruū. Et hoc uidetur innuere  
 Themistius in eius loci paraphrasi, ita scribens: Planē ex his quæ dicta sunt liquere  
 arbitror, animā neque cadaueris, neque seminis perfectionē esse: alterū quia desijt, al-  
 terum quia nondū in uitam promotū est. Item alterū non potest amplius uitam ha-  
 bere, alterū potest quidem, sed nondū habet. Potest uero, quia fieri organicum po-  
 test, & uitam accipere. Quemadmodū enim ferrū informe atque rude potestate fer-  
 ra est, idcirco quia potest in ferram id genus excudi, nondū tamen est ferra, sed tūc  
 erit quū aciem & figurā habilem ad secandū acceperit: ita & genitura seminalis po-  
 tenua animal, quia potest in organicū corpus exculpi, nondū tamen est animal, sed  
 tunc erit quū per se ali & indolescere poterit. Hęc uerba Themistij si de semine ma-  
 ris intelligant, Aristotelico dogmati nō cohærebūt, qui uoluit maris semen nō esse  
 causam



A causam materialem, sed efficientem tantummodo. Ipse quoque Aristoteles in primo libro de generatione animalium, quid sit genitura, quid semen, ostendit his verbis: Genitura igitur vocatur, quod a genere proveniens causa est, quae prima obtinet principium generationis, videlicet in his quae coire natura voluit. Semen est quod ex illis coeuntibus originem trahit, quale semen omnium plantarum est, & animalium nonnullorum in quibus semen distinctum non est: veluti quod ex mare & foemina primum miscetur quasi conceptus promiscuus quidam, aut animal. Haec enim iam habent quod ex ambobus requiritur. Ex quibus verbis Aristotelis liquet, quod illud quod proprie semen dicitur, utranque partem complectitur, materialem scilicet & efficientem. Materialis est illa quae ferro informi proportione respondet. Nam sicuti illud potest in ferram excudiri, ita haec potest in corpus organicum excipi. Neque perturbet aliquem id quod in translatione habetur (genitura) quasi plus de maris semine, quam foeminae Aristoteles intellexerit: nam in codice graeco Themistii, sperma legitur, id est, semen. Et forte translator non sine ratione verbo Genitura, addidit seminalis, ne ex toto Aristotelis dogma peruerteret, qui nullo modo vult genituram, id est, maris semen vicem materiae praestare. Vocabulum enim genitura proprie significat illud quod diximus. Semen autem licet & ipsum apud Aristotelem aliquando pro genitura capiatur, ut in eo ipso loco, quo ponit inter semen & genituram differentiam, postea subiungit: Natura autem eius quod semen vocatur, proprium tamen eius significatum est mixtio geniturae & sanguinis menstrui. Sic ergo apparet Themistii virtutem formativam non in anima separata, ut ei ascribit Commentator, sed in semine maris animato posuisse. Et hoc ex paraphrasi librorum de anima, quam videtur citare Commentator, quum ait libro duodecimo de prima phi-

Genitura.  
Semen.

Virtus formativa  
in semine non  
in anima. secundum  
Themist.

B losophia, commentatione decimo octava, Themistii aperte dixisse illud alterum esse, scilicet animam abstractam, dantem animato creationem, lineationem, & animam. Quid vero idem Themistius senserit in paraphrasi libri duodecimi de prima philosophia, quo in loco eius sententiam etiam Commentator adducit, non ausim asserere, quonia illud opus Themistii non extat. Tu vero ex his collige quid Graeci veteres Aristotelis expositores, de virtute senserint formativa, quam alij naturam seu potentiam naturalem, sicuti Alexander atque Simplicius, alij animam seminis, sicuti Themistius esse dixerunt. Quid vero Arabes atque Latini recentiores philosophi, atque theologo de eadem virtute fuerint opinati, promptum tibi erit ex eorum libris accipere. Commentator quidem libro duodecimo de prima philosophia, commentatione decimo octava, multas Arabum recitat opiniones, & tandem apponit suam, quam ait esse Aristotelis, quum tamen eadem magna ex parte etiam Platonis existat, quem nihilominus Commentator interim damnat. Nam quum multa scripsisset, quae ait esse in libris de animalibus declarata, de calore solis atque stellarum, & caloribus generantibus species animalium ex caloribus caelestibus derivatis, ait postmodum eosdem calores propriam habere mensuram ab arte divina intellectuali, quae est similis uni formae unius artis principalis sub qua sunt artes plures. Secundum hoc igitur ait esse intelligendum, quod natura facit aliquid perfecte & ordinate, quamvis non intelligat, quasi esset rememorata ex virtutibus agentibus nobilioribus, quae dicuntur intelligentiae. Postmodum subiungit: Ista autem proportiones & virtutes quae fiunt in elementis a motibus solis, & aliarum stellarum sunt haec, quas reputat Plato esse formas & eas intendit, sed longe inspiciebat eas: quapropter dicit formas esse. Haec quidem Averrois, qui platonizans, ut dixi, Platonem damnat. Nam naturam non esse causam principalem, sed instrumentalem, & agere aliquid perfecte atque ordinate, ut directa est a virtutibus agentibus nobilioribus quae dicuntur intelligentiae, est Platonis dogma



**C** potius quam Aristotelis, qui in philosophia naturali, in qua agitur de generatione animantium, parum de eiusmodi causis abstractis locutus est, ne ut retro diximus duarum disciplinarum precepta confunderet. Sed quum idem Aristoteles in multis locis, & libro de auscultatione naturali, & de generatione animalium naturam arti similem tradat: ars uero secundum rationes proprias ad earum similitudinem sua opera fabricans, liquet ex hoc quod etiam natura eodem modo facit: quare nihil frustra facit. Si ergo natura non est primum efficiens, alia autem est causa uniuersalis omnium rerum, sicuti natura naturalium, clarum est quod illa omnium quae generantur rationes praecipit, & causas, & ad easdem rationes ea quae generantur eximit. Haec uero rationes sunt Platonis ideae, quae in mente opifice ab his qui Platonis placita uere interpretantur, sitae intelliguntur. Et has etiam concedit Commentator, quum mensuram caloris naturalis, a quo animalia generantur, ait provenire ab arte diuina intellectuali, quae est similis uni formae unius artis principalis, sub qua sunt artes plures: Licet postea dicat Commentator Platonem, cuius sensus ignorauit, aliud de ideis existimasse, & longe illas inspexisse contendat, & demum praferat Aristotelis opinionem super generatione rerum naturalium. Quae tamen duae opiniones non multum uidebuntur discrepare, si praeter coelum atque naturam causae etiam illae superiores, mens scilicet eximia & formae intellectuales, adhibeantur: Quando & Simplicius tacitam contra Alexandrum de generatione naturali, & natura, potentia irrationali dubitationem, non magis Platonice, quam etiam Aristotelice soluit. Quam solutionem uidetur Commentator mirum in modum in suis uerbis approbare. Qui pariter & ipsas uirtutes quae sunt in feminibus non actu animatas, sed tantum potentia esse uult, & esse potentias naturales postmodum insinuat, quum ait naturam facere aliquid perfecte & ordinate, quamuis non intelligat, animam autem mundi per omnem naturam inuectam a Theophrasto asseri, propter ea animalia quae ortu spontali de materia putri proueniunt. Non est adeo Aristoteli dissonum, ut uideatur Auerrois existimare: quandoquidem & ipse Aristoteles lib. tertio de generatione animalium, uolens quomodo eadem animalia quae sine femine ortum habent generentur exponere, his utitur uerbis: Generantur autem in terra humoreque animalia & plantae, quoniam humor in terra, spiritus in humore, calor animalis in uniuerso inest, ita ut quodammodo plena sint animae omnia. Non temere ergo Auerrois Commentationis libri duodecimi de prima philosophia, commentatione decima octaua, quaestionem abs te propositam aggrediens difficilem iudicauit, quam non potuit soluere, nisi ad Platoniorum dogma, quod tamen studuit improbare, deficeret. In quo etiam animaduerto peccasse Gentilem Auicennae expositorem, qui in expositione primi libri Auicennae, quaerens quid sit uirtus formatiua, post improbatam inter alias etiam Auicennae opinionem, demum ad uerum Platonis dogma confugit, ita scribens: Dico igitur quod in entibus naturalibus oportet ponere quoddam agens per intellectum, quod est formae inductiuum, limitans, agens, praeparans materiam. Et causa huius est, quia sic contingit in arte sicuti in natura. Non possumus ista aliter probare, sed in arte uidemus, quod est ibi aliquod agens per intellectum limitans, agens, praeparans materiam: sicuti uerbi gratia in arte fabrili apparet. Nam in fabro est ars quaedam cognoscitiua limitans, & mensuras, agens, praeparans materiam, sicuti ignem, aquam & similia: ut ex materia praeparata, scilicet ex ferro praeparato per ignem, aquam, & malleationem possit induci quantum intendit, sicut cultelli, uel alicuius alterius. Sic igitur etiam erit in natura, scilicet agens aliquod per intellectum limitans, agens, praeparans materiam. Et totum corpus caeleste compositum ex omnibus, quod quidem hoc efficit instrumentaliter per motum & lumen principaliter per intellectiua, quae in eo sunt in quibus recepta est ars quae intro. Quae quidem



**A** quidem ars factiua est omnis formæ inferioris uel inferioris existentis. Vnde dicebat Auerrois duodecimo metaphysices, quod natura nõ operatur nisi reminiscens ex superioribus causis diuinioribus. Et hæc quidẽ Gentilis in solutione quæstionis de uirtute formatiua quid sit. Qui etiam paulò antea scribit omnes Aristotelis sectatores in hac sententiã conuenire, quod scilicet præter agens, præparans materiam sit ponendum aliquid aliud agens per intellectum: à qua tamen sententiã Alexander Aristotelicę disciplinæ præcipuus imitator, uisus est, ut antea probauimus, dissentire. Multo rectius Simplicius, non quæ Platonis sunt, Aristoteli tribuit, sed quæ Aristotelem dicere oportuerit, si & præceptori & ueritati cõsona loqui uolebat, manifestauit. Hæc sunt quæ de uirtute formatiua nos pro temporis breuitate, maximis alioquin & philosophicæ & medicæ professionis occupationibus impediti, scribere potuimus. Neq; nos latet pleraq; alia in medium afferri potuisse, quæ recentiores philosophi atq; theologi suis in libris de eadem uirtute scripta reliquerunt. Sed nobis satis uisum est Auerrois & Cõciliatoris opinionẽ pertractare, tum quia hi duo autores plurima de uirtute formatiua scripsere, tum quia ipsi idem præcipuã non modo apud philosophos, sed etiam apud medicos habent autoritatem.

DE VIRTUTE FORMATIVA LIBRI FINIS.

## NICOLAI LEONICENI

**B** VICENTINI DE DIPSADÆ ET PLVRIBVS ALIIS  
SERPENTIBVS OPVS, AD ILLUSTRISSI-  
MAM DOMINAM LVCRETIAM BOR-  
GIAM FERRARIAE DVCEM.



**N**ihil est quod libentius arripiam, quàm illas quæ mihi offeruntur quotidie iuuandæ mortalitatis occasiones. Vnde his quoque obligatum me sentio, qui superioribus annis ad scribendum de uiperâ uel cõtradicentibus excitarunt. Quare Lucretia dux Ferrariæ inclita, ad tuorum erga me beneficiorum cumulum hoc quoq; accessit, quod etiam de dipsadæ serpente tam uiperæ simili ut difficile sit internoscere, ut dictarẽ aliqua, prima dedisti causam. Nam per Herculem Strozam poëtam insignem tibi familiarem, cuius nutu pridem gymnasium philosophorũ ac medicorum gubernabatur, eisdem professoribus de ea serpente quæstionem quænam esset, aut qualis, proponi iussisti: Es enim, ut omniũ semper uirtutũ, ita bonarũ artium & medicinæ præsertim, apprime studiosa. Huius tui studij, & propensę in hanc maxime facultatem humano generi salutarem amplificandam uoluntatis, ego testis optimus esse possum, quem aliquando magnæ etiam mercedis sponcione hortari non destitisti, ut omnia Galeni de medicina uolumina latina facerẽ: Quod opus iam dudũ à me inchoatũ, sed postea propter temporũ calamitates intermissum, fortẽ si ætas suffecerit, tuo mihi fauore aspirãte cõplebitur: aut saltem magna pars eius & potior, conficietur. Nunc quod instat agamus: effigiem dipsadis atq; naturam, quam nosse cupis, & quæ conueniat cum uiperâ, quæue differat, manifestemus, rem tibi (ut spero) futuram non iniucũdam; medicis autem admodũ scitu necessariam, ne quærentes

Stroza poëta.